



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatum Serie Vigesimo-Octavum De Matrimoniis, &  
Sponsalibus, cum Indicibus necessariis

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

Qualiter religionis ingressu, vel Ordinis sacri assumptione diuortium inter  
coniuges fieri possit. §. 11.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76659)

Ergo mater eandem culpam committens æque damnata censenda est, siquidem mater est correlatiuum patris, & dispositum in vno correlatiuo, in alio censendum esse dispositum, quando eadem militat ratio, vt multis comprobatur. Eucard. loco de correlatio. num. 7. & 8. idemque lex regia 3. tit. 19. art. 4. vnde iudicatur hanc obligationem alendi filios delinquentis expensis aliam esse ab obligatione, quæ iure communi parentibus inest, nullius mentionem patris delinquentis fecit, sed generaliter eam obligationem imposuit ei, qui diuortij causam dedit, siue filij maiores sint triennio, siue minores, ibi: [Y si caeçiese que se para el casamiento por alguna raçõn derecha, à quel por cuya culpa se pattiõ es tenuto de dar de lo suyo con que etien los hijos si fuere rico quier sean menores de tres años quier seaa mayores; e el otro no fue en culpa los debe criar, e auer en guarda por tal raçõn como sobredicha es.] Et cum lex penalis sit, nec pater tenebitur filios minores triennio, nec mater nocens maiores alere, quousque sententia adueniat, vt bene notauit Sanch. dicta disp. 20. num. 8. vbi num. 9. aduertit non esse hanc decisionem extendendam ad diuortium iniquè, & contrariis ordinem factum, quia lex regia 3. & dicta Auent. si pater expressè de diuortio legitimè factò loquantur, & pater extendendæ non sunt vitra casum in lege comprehensum.

Verum si diuortium neutrius culpa fiat, vt quando fit mutuo consensu; vel culpa vtriusque factum est, vt quando vterque de heresi damnatus est; vel vnus commisit adulterium, & alter heresim, rectè censet Thom. Sanch. disp. 20. num. 10. ius commune Codicis latum in leg. Nec filium, Cod. de patria potestate seruandum esse, vbi statuit filios minores triennio apud matrem, maiores vero apud patrem, cuiusque expensis alendos esse, nisi Iudex aliud fuerit arbitratus, iuxta leg. vnic. Cod. de diuortio factò, &c. quod nullà alià lege mutatum reperitur. At quando diuortium non solum quoad thorum, & habitationem, sed quoad vinculum fit, eo quod contractum matrimonium fuerit impedimento dirimente, filij eo tempore concepti vtriusque coniugis expensis alendi sunt, iuxta Textum in cap. 2. qui filij sunt legitimi. Quod videtur procedere siue sint minores, siue maiores triennio, eo quod æquum non sit vnum coniugem amplius quam alium grauari, cum vterque bonâ fide processerit. Lex verò Codicis ita uens expensis matris minores triennio, & patris expensis maiores triennio alendos esse, expressè loquitur de filiis conceptis ex matrimonio legitimo. Non ergo debet ad conceptos ex matrimonio nullo extendi. Atque ita tradit Surd. de aliment. sit. l. quasi. 14. num. 8. & tit. 7. quasi. 11. num. 18. Sanch. lib. 10. disp. 20. num. 11. Quod si aliquis coniugum malâ fide in contrahendo matrimonio fuerit, illius expensis filij alendi sunt, vt potè qui fuit in culpa vt haberetur, sicuti rectè notauit Sanch. supra.

§. XI.

Qualiter Religionis ingressu, vel Ordinis sacri assumptione diuortium inter coniuges fieri possit?

- 1 Coniux matrimonio consummato, & seclusa causa diuortij nequit licitè, nec validè Religionem profiteri.
- 2 Hic nulliter professus obligatus est castitatem seruare quantum commode possit.
- 3 Non est obligatus etiam ad Religionem in genere.
- 4 Potest sic professus propria auctoritate Religionem deservere.
- 5 Satisfit obiectioni.
- 6 Quæ dicta sunt de professione facta absque licentia coniugis procedunt, si licentia metu extorta sit.
- 7 Coniux absque alterius licentia nequit sacros Ordines suscipere matrimonio non consummato, validè tamen suscipit.
- 8 Ordinatus absque licentia coniugis non tenetur ad coniugem redire nisi ipsa petat.
- 9 Vno coniuge ex licentia alterius Religionem ingredi diente, debet alter Religionem ingredi, nisi senex sit & nullum incontinentie periculum adsit.
- 10 Etiam in hoc proposito arbitrio Episcopi relinquitur.
- 11 Non est necessaria alia licentia nisi à coniuge ad Religionem ingressum.
- 12 Coniux iubens, Religionem ingredi debet vs in ea profiteatur, tamen si contra sentiat Palacios.
- 13 Votum perpetuæ castitatis, quod coniux in sæculo emittit, non fit solempne professione alterius.
- 14 Si coniux licentiam concedens nec Religionem ingrediatur, nec votum emittat non obinde alterius professio irritatur.
- 15 Si prædictus coniux ex cuius licentia alter professionem emittit nolit profiteri, vel votum castitatis emittit, & pericu-

- lum incontinentia patiatur, tenetur Episcopus professum coniugi reuocare.
- 16 Quæ dicta sunt de Religionis professione, eadem obseruari debent in Ordinis sacri assumptione.
- 17 Spectato iuris rigore verius censetur obligatum non esse coniugem concedentem licentiam Religionem profiteri.
- 18 Coniugatus ad Ordines promotus nequit cum coniuge habitare.
- 19 Si aliquis de facto sacris iniuriatus sit, quin vxor Religionem profiteatur, vel votum castitatis emittat, petatque sibi maritum reddi, reddi debet.
- 20 Votum castitatis, quod vxor in hoc euentu emittit inhabilem reddit coniugem ad matrimonium mortuo viro.
- 21 Quod verum est siue vxor consenserit expressè ordinationi, siue dissimulauerit.
- 22 Coniugatus ad Ordinem sacrum ascendens absque expressa vxoris licentia irregularis est.
- 23 Si ex vxoris licentia ascendat, ipsa tamen castitatis votum non emittat, etsi aliqui excusent à prædicta irregularitate, seu suspensione, verius est in eam incidere.

Coniux matrimonio consummato, & seclusa alia causa diuortij nequit licitè nec validè religionem profiteri absque alterius coniugis licentia, vti habetur expressè in cap. quidam. 3. & cap. placet. de conuers. coniugat. coniux namque matrimonio consummato non est sui iuris, sed alterius, cui se per matrimonium tradidit, nequit ergo absque eius consensu tradi Religioni, sicuti seruus inuito domino non potest Religioni addici. Quod si de facto professionem emittat, repeti ab altero coniuge potest, vt potè qui ius integrum, & illæsum habet, cui professio nulla præiudicare non potest.

Verum hic nulliter professus obligatus erit ad castitatem seruandam quantum cum matrimonio comparari potest, vt cauetur in prædictis capitulis. Quidam, & placet. quia præsumitur se voluisse obligare in quantum possit. Cum ergo se potuerit obligare ad non petendum debitum durante matrimonio, & illo dissoluto ad integram castitatem, censendus est ad eam castitatem mediâ illâ professione se obligare voluisse. At si expressam voluntatem habuisset non se obligandi ad castitatem, nisi dum in statu religioso persisteret, vel ex suppositione quod Religiosus esset, cessabit eius obligatio, quia decisio Pontificis solum in præsumptione fundatur, vt ex communi sententia tradit Sanch. lib. 7. disp. 34. n. 3. Lessius lib. 2. cap. 41. num. 29. Basil. Ponce, lib. 9. cap. 11. num. 3. Gutierr. cap. 95. de matrim. n. 20. Paul. Layman. lib. 5. sum. tract. 10. 3. p. c. 7. num. 4.

Illud verò certum esse debet sic Religionem absque licentia coniugis profitentem, non remanere obligatum etiam ad Religionem in genere mortuâ vxore, quia illa professio, & traditio nulla fuit, neque in illa imbibitur votum ingrediendi Religionem, sed est ipsemet ingressus qui cum nullus sit nullam parit obligationem, sicuti si coniugatus tentaret cum alia contrahere, ex prædicto contractu neque sponsalia nascerentur, neque vlla obligatio mortuâ coniuge contrahendi. In quo est latum discrimen à voto castitatis, quod durante coniugio vim habere potest, quatenus obligat ad non petendum debitum, & abstinentiâ à copula cum aliena. Secus est in professione, quæ cum absoluta sit stante coniugio nullum effectum habere potest coniuge non consentiente, vt colligitur manifestè ex dicto cap. placet. & cap. quidam de conuers. coniugator. Et tradit Sanch. d. disp. 34. num. 10. Lessius num. 25. Basil. Ponce, num. 5. Gutierr. cap. 95. à n. 23. Layman. d. cap. 7. num. 4.

Ex hac doctrina inferunt prædicti Doctores Basilio excepto sic professum coniuge non reuocante posse propria auctoritate Religionem deserere: vti deciditur cap. 2. 32. quasi. 5. iuncta Glossa ibi Et cap. vna sola 3. quasi. 5. & cap. accedens de conuers. coniugat. Imò Sotus in 4. d. 27. quasi. 1. art. 4. vers. casus autem Sanch. num. 15. Layman. num. 4. & alij censent obligatum esse ad coniugem redire, dum non consentit eius ingressui, quia est manifesta iniuria rem alienam, qualis tunc est coniugatus contra voluntatem domini retinere. Neque his obstat, Conc. Trid. sess. 25. c. 19. de regular. damnans tanquam apostatam eum qui quacunque ex causa habitum dimiserit, quia hoc intelligendum est cum spontè dimittit, secus si dimittit ex obligatione coniugij, vt ipsemet Basilius sibi contrarius explicat d. lib. 9. cap. 20. num. 2.

Neque his obstat quod in cap. placet de conuersione coniugat. asseratur de muliere sic Religionem ingressa in eius potestate non esse ad sæculum redire, sed in potestate mariti, & idèd, quantum ad ipsum tenuit votum, quod post mortem viri tenere non desit. Non inquam obstat, nam cum Textus dicit non esse in potestate mulieris ad sæculum redire, intelligi debet, quin Monasterio constet fuisse irritam professionem: aliàs ius haberet egressum impediendi. Vel dic non potest ad sæculum redire, hoc est ad vitam coniugalem vt antea

ratione voti castitatis quo est astricta, quo impeditur à debiti petitione, & mortuo coniuge altringitur ad continentiam.

6 Quæ dicta sunt de professione facta absque licentia coniugis procedunt, si licentia metu cadente in constantem virum extorta sit, quia metus reddit licentiam nullam, ut habetur *cap. accedens 17. de conuers. coniugator. cap. notificasti. 3. q. 5. & aduertit Sanch. disp. 3. §. 1. m. 1. Gutierr. d. c. 95. n. 24. Basili. Ponce, lib. 9. cap. 11. m. 1. 5. Layman. lib. 5. sum. tract. 10. 3. p. 67. n. 4. Et idem est si dolo interueniente licentia fuerit extorta, quia tollit voluntarium, & colligitur ex *cap. veniens de conuers. coniugator. vbi mulier ea licentia ingrediens reuocaretur, nisi inhonestè vixisset, vt bene notatur alijs relatis Sanch. disp. 3. §. 1. m. 10. Gutierr. c. 95. n. 25. Basili. Ponce, d. cap. 11. m. 1. 5. Layman. c. 7. n. 4.**

7 Quoad Ordines atinet nequit coniux absque alterius licentia Ordines sacros suscipere etiam matrimonio non consummato, si tamen de facto suscipiat, validè suscipit. Est omnium sententia definita in *cap. coniugatus de conuers. coniugator. & in extrauag. Antiqua de voto. Neque obest quod ante consummationem matrimonij possit coniux ad Religionem transire alterius licentia minimè requisita, quia id permissum est eo quod professio matrimonium ratum dirimat, secus Ordo sacer: & quia vtrique coniugi est communis potestas ad Religionem, secus ad Ordinem. Quapropter sic ordinatus poterit à coniuge reuocari, quia eius malitia non debet præiudicare coniugi. Excipit nisi ante consummationem velit Religionem ingredi. Quod si coniux tempore ordinationis non reclamauerit cum possit, etsi aliqui censent eo ipso licentiam concedere. Rectius Thom. Sanch. disp. 3. §. 1. Gutierr. c. 95. de matr. n. 26. negant solam dissimulationem sufficientem esse, quia dissimulatio non est licentia: & in re ita graui, & iuri proprio præiudicanti expressa licentia requiritur sicuti ad Religionis ingressum, vt colligitur ex *cap. consultius de conuers. coniugator.**

8 Ordinatus verò absque licentia coniugis non tenetur ad coniugem redire, nisi ipsa petat, maxime si matrimonium consummatum non sit, sicuti aduertitur in *suprad. extrauag. Antiqua de voto. Quinimò pluribus placet, vt videre est in Sanch. lib. 7. disp. 38. num. 16. non posse ad coniugem non existentem redire, tamen si facta professione post matrimonium consummatum possit: quia professio absque licentia coniugis nulla fuit, at Ordo susceptus valorem habet. Sed verius apparet in vtroque casu idem esse dicendum, quia licet Ordo susceptus valorem habeat, non tamen pugnat cum matrimonio, nisi quatenus votum castitatis habet annexum, quod æquè habet professus. Ergo si non obstante eo voto professus redire poterit ad coniugem, sic poterit Sacris ordinatus: eo autem vtrunque redactio petere nequaquam poterit, bene tamen reddere ob coniugis ius, quod integrum est.*

9 Hucusque dixi de professione Religionis, & Ordinis assumptione absque licentia coniugis, ea verò posita validus, & licitus est ingressus, debet tamen is qui licentiam concedit simul ingredi iuxta Textum in *c. cum sit 4. de conuers. coniugator. nisi forte sit ita senex, vt nulla de eius incontinentia suspicio subit, vt habetur c. vxoratus 8. Et c. ad Apostolica 13. eodem tit. ibi Non est alter coniux recipiendus ad obseruantiam regularem, nisi reliquis perpetuam continentiam reprobatur, sed & vitam debet mutare (scilicet ingrediendo Religionem) nisi forte sit eius atatis, vt sine suspitione incontinentia valeat in saeculo manere. Vbi notandum est non satis esse senilem ætatem habere, sed & incontinentiæ suspitione carere: neque è contrà sufficit de incontinentia suspectum non esse, sed oportet senem esse vtrumque enim requiritur, vt bene aduertit Sanch. lib. 7. disp. 32. n. 9. & 10. Gutierr. c. 95. n. 8. & 9. Hæc dispositio vtrique coniugi communis est teste Sanch. lib. 7. disp. 32. in princ. Gutierr. c. 95. n. 1. Paulo Layman. lib. 5. sum. tract. 10. 3. p. 67. n. 2. Basilio Ponce, lib. 9. c. 12. n. 1. quidquid absque fundamento censet Gaspar Hurtado disp. 11. difficult. 9. n. 28. Nam esto in *c. vxoratus*, sola vxor excipiat ad Religionis ingressum, at in *c. ad Apostolica* vtrique coniux excipitur si ita senex sit, & absque incontinentiæ suspitione in saeculo remanere possit.*

10 Etas autem in hoc proposito, vt exusetur vir aut femina à Religionis ingressu arbitrio Episcopi relinquatur spectatis personæ circumstantiis, valetudine, robore, & modo procedendi. Nam esto ad ouorum, & lacticionum ætatem, & ad excusationem icunij sexagesimus annus censetur sufficiens, quia hæc leges communitati imponuntur, ideòque spectant quod frequenter contingit, at in casu præsentis cum hæc dispositio non communitatem spectet, sed singulares personas, certa regula definiti nequit, vt bene notauit Basili. Ponce, d. lib. 9. c. 12. n. 3. in fine. Sanch. dicta disp. 32. n. 15. Gutierr. c. 95. num. 2. & 3. Plerumque in vitis sexagenaria ætas & in feminis quinquagenaria iudicari debet sufficiens, vt potè quæ spectato communi cursu insufficientis est generationi.

Præter supradictam coniugis licentiam plures, quorum meminit Sanch. disp. 32. à num. 3. exigunt licentiam Episco-

pi, vt transitus in Religionem legitime, & validè fiat, nec renouari possit, argum. *c. si vir, & vxor. 27. q. 2. ibi: Si vir & vxor diuerrere pro sola religio inter se consenserint vita, nullatenus sine Episcopi conscientia fiat: & c. 1. de conuers. coniugator. dicitur: Si coniux senex sit esse votum in saeculo interueniente Episcopi auctoritate. Sed rectius Sanch pluribus relatis d. disp. 32. n. 4. Gutierr. c. 95. n. 4. Basili. Ponce, lib. 9. c. 12. n. 2. Paul. Laym. lib. 5. sum. tract. 10. 3. p. 67. n. 3. asserunt prædictam licentiam ad valorem professionis necessariam non esse, quia nec Textus in *c. si vir*, neque vllus alius pro valore professionis requirit licentiam Episcopi. Maior difficultas est, An pro licito ingressu necessaria sit Sanch. Gutierr. & Basili. negant, eo quod censent nullum esse latum præceptum in dictis capitibus; & si forte latum sit iam consuetudine esse abolitum. Cæterum verius censet & præceptum latum fuisse in dicto *cap. si vir, & vxor*, illa enim dictio nullatenus necessitatem importat saltem præcepti. Neque in contrarium est consuetudo, quin potius solum est licentiam Episcopi postulari in prædicto euentu, vt tradit Glossa in *d. cap. x. de conuers. coniugator.* & notauit Layman. *suprad.* Etenim cum Episcopo competat examinare, & iudicare, an coniux dans licentiam teneatur Religionem ingredi, vel satisfaciat suæ obligationi votum castitatis emittens, necessarium videtur licentiam Episcopi requiri maxime eo casu, quo coniux præbens licentiam ad Religionem non transiret.*

Et licet Palaçios in *4. d. 27. disp. 2. vers. quocirca*, censet à coniuge iuuenem suspectum de incontinentia non esse obligatum Religionem ingredi, vt in ea profiteatur, sed solum vt in ea reclusus à sæculari conuersatione semotus existat iuxta Textum in *cap. vxoratus de conuers. coniug. ibi: Si autem fuerit talis quæ suspitione non careat voto continentia celebrato à sæcularium hominum conuersatione semoueat. Communis, & vera sententia, quam tradit Abbas in *d. cap. vxoratus, & c. accedens de conuers. coniugator. Sylu. verbo Diuortium. q. 13. n. 2. Sot. in 4. d. 27. q. 1. art. 4. vers. potest. Palaçios sibi contrarius d. 3. r. disp. 2. vers. at vngentior est. Sanch. lib. 7. disp. 32. n. 4. ad finem. Gutierr. c. 95. n. 6. Basili. Ponce, lib. 9. c. 12. num. 3. asserit necessariò debere esse ingressum ad proficiendum, vt satis colligitur ex Textibus de hac materia loquentibus: æquè enim de vtroque coniuge loquuntur. Nam Textus in *cap. vxoratus* post verba supra relata inquit, & in loco religio ubi Deo seruiat perpetuò committitur: reclusio namque perpetua solum ex professione Religionis provenire poterat. Sed expressius id traditur in *cap. 1. eodem tit. ibi: nisi vxor ad Religionem transferret, & cap. cum sit. ibi: Nisi vtrique ad Religionem migrauerit, & cap. Agatholæ 27. q. 2. ibi: Postquam copulatione coniugij viri, atque mulieris vnum corpus effectum non potest ex parte conuerti, & ex parte manere in saeculo. Quancunque autem Religionem approbatur, quæ proprie Religio sit ingrediens coniux huic obligationi satisfaciat. Vnde vir satisfaciat assumpto habitu equitum sancti Ioannis: nam esto extra claustrum viuat, virtute professionis non est eisdem periculis, ac sæcularis subiectus. Atque ita docet Basili. Ponce, d. c. 12. n. 3. testaturque se vidisse in praxi obseruari, & merito: cum iura solum transiunt ad Religionem expolletent. Femina verò à fortiori satisfaciat ingrediens Religionem sancti Iacobi, quia vera est Religio, tamen contumaciter sitan eius vota solemnia, an simplicia fuerint.***

Votum perpetuè castitatis, quod coniux manens in saeculo emittit professione alterius in Religionem non fit solemnè, neque matrimonium subsequens mortuo coniuge diuinit, quia nullus est Textus, vnde ea solemnitas colligitur & hæc manifestò fundamentum in præiudicium matrimonij statuenda non esset bene ait Glossa in *c. seriatim, verbo post mortem 31. dist. Sanch. alijs relatis. lib. 7. disp. 32. n. 8. Gutierr. c. 95. num. 7. Basili. Ponce, lib. 9. cap. 12. num. 3. Quippe nullum votum solemnè agnoscitur nisi in Religionem approbata, vel in Ordinis sacri susceptione emissum sit, vt decidit in *cap. qm. de voto in 6.**

Quod si coniux de licentia alterius professionem emittat, & concedens licentiam Religionem non ingrediatur cum iuuenis sit, vel de incontinentia suspectus, non obinde eius professio irritatur, sed firma persistit, vt colligitur aperte ex *c. Agatholæ 27. q. 2. vbi ad valorem professionis considerat Textus vel licentiam coniugis, vel illius conuersionem. Et in c. ex parte el. 1. de conuers. coniugator. ibi: Quia verò licet prædictus D. vxore sua in saeculo remanente de iure ad Religionem nequiverit professi, &c. Non enim dicitur professio nulla, sed facta contra iuris ordinem, cuius omisio quando non est de substantia non vitiat actum, sicuti multis allegatis comprobatur Sanch. lib. 7. disp. 33. n. 2. & seqq. Gutierr. d. c. 95. n. 11. & 12. Basili. Ponce, lib. 9. c. 12. n. 4.*

Quapropter si prædictus coniux, ex cuius licentia alter professionem emittit inducitur ad Religionem proficiendum, vel votum emittendum, sicuti obligatus est eo ipso quo licentiam concessit, compelli tamen non potest. Quia votum castitatis, Religionis quæ assumptio ex propria, & non ex aliena voluntate esse debet, vt tradit Lessius lib. 2. c. 4. n. 26. in 2. edit. Quinimò si periculum sit incontinentiæ, re-